

40 remedii eius obliviscitur divina miseratio, sed in ipso,
 ut diximus, ignis medio, ubi flammis tradiderat pueros
 Deum colentes, etiam ibi eum non terroribus sed mira-
 bilibus mitigat. Potuerat enim et ignem restinguere et
 imbres caelitus inundare, sed hoc non facit ne plus accen-
 45 dat insaniam sed permittit in tantum exaggerari flam-
 mas quantum furentis desiderabat immanitas et non
 inferri poenas prohibet sed illatis potestatem perimit cru-
 ciandi. Et ne quis videns non uri pueros putaret fan-
 tasma esse flammam quae videbantur, permisit exuri
 50 poenarum ministros, eos scilicet qui circa fornace sta-
 bant, ut ostenderet quia vere ignis erat qui videbatur,
 sed erat praeceptum Dei ignis virtute validius. Omne enim
 quod est, necessario famulatur ei a quo ut esset acce-
 pit originem. Suscepit ergo ignis ille Sanctorum corpora
 55 et praecepto ac voluntate Dei naturae qua urit oblitus
 sola in eis parte qua inluminat operatus est, ita ut sanc-
 tum ac fidele depositum non corruptum redderet sed
 inlustratum. Processerunt enim de fornace ignis tanquam
 de aula regali, admirandi omnibus et omnibus venerandi.
 60 Nullus tunc convertit oculos suos ad regem purpura et
 diademate refulgentem sed relictus est a cunctis tanquam
 si non esset, quia omnium in se mirabiles pueri rapuere
 conspectus. Quis enim non stuperet ad corpora iuvenum
 pavitasse flammam et non solum viscera refugisse Sanc-
 65 torum verum ne capitis quidem comam quod est omnium
 fragilius aut summam saltem vestimenti fimbriam per-
 strinxisse.

6. Quis non miraretur in eis membra montibus, vesti-
 menta metallis, capillos adamante fortiores esse? Sed et